

quolibet anno suum ex lege exigebat sabbatum. Septimus enim annus in 490 annis recurrit septuagies : multiplica enim 70 per 7, invenies 490. Eadem causa hic insinuat dum dicitur : « Et celebraret terra sabbata sua : cunctis enim diebus desolationis egit sabbatum usque dum completerentur 70 anni. »

Rursum, Hebraei per sua scelera varia et multa contaminantur Judaeam, quae erat terra sancta per 490 annos : unde Deus totidem annos poenitentiae et captivitatis potuisset eis injungere ; sed noluit, et poenam imminuit ; ut e septem annis unum tantum poenitentiae eis assignaret, quo pariter terra sabbatizaret : quare dedit eis annos 70 captivitatis : hi enim septies in 490 continentur, ut his 70 annis terra quiescens et quasi sabbatum agens, a sceleribus 490 annorum in ea a Judeis commissis expiaretur, et praesertim ab idololatria, quae in ea diu, sed per 70 annos acrius et ardentius viguit.

Alia causa literalis fuit, quod Chaldaeorum monarchia duravit per 70 annos ; Chaldaei autem Judaeorum fuere hostes et flagella Dei qui eos in Babylonem abduxerunt, ibique toto tempore monarchiae suae detinuerunt : quo finito in anno 70, surrexit Cyrus Chaldaeorum hostis et Judaeorum amicus, qui Chaldaeos evertit, et monarchiam ad Persas transtulit, ideoque Judaeos e Babylone liberavit. Rursum hi 70 anni desolationis respondent 70 hebdomadibus Danielis cap. ix, quibus exactis venturus erat Christus, cujus typus fuerat Cyrus, qui eos a servitute peccati et diaboli liberaret, ac Jerusalem caelesti restitueret.

Quarta
potissima
causa.

Prima et potissima causa fuit Dei ita decernentis voluntas, et judiciorum ejus profundorum abyssus. Hanc causam dat *Esdras*, lib. iv, cap. ii, ubi narrat se anno trigesimo desolationis Jerusalem in Babylone coram Deo questum esse, quare tandem Judaeos fideles suos in Babylone captivos detineret, et inter alia se Deo dixisse vers. 27 : « Tradidisti civitatem tuam in manibus inimico-

rum tuorum. Numquid meliora facietis qui habitant Babylonem, et propter hoc dominabitur Sion. » Et rursum : « Factum est cum venissem huc, et vidissem impietates quarum non est numerus, et delinquentes multos vidit anima mea hoc 30 anno. » Ac Urielem Angelum ei respondisse cap. iv, dixisseque : « Vade, pondera mihi ignis pondus, ac mensura mihi flatum venti, aut revoca mihi diem quae proterit. » Quod cum Esdras fieri non posse diceret, urget Angelus : « Si, inquit, interrogarem te quante sunt habitationes in corde maris, aut vene in principio abyssi, » unde scilicet aquae indesinenter scaturiunt, vel vene pluviarum in caelo, « aut qui sunt exitus paradisi, quae ceres mihi fortassis : In abyssum non descendi, neque in infernum adhuc, neque in caelum unquam ascendi. Nunc autem non interrogavi te nisi de igne, et vento et die per quem transisti, et a quibus separari non potes, et non respondisti mihi de eis, et quomodo poteris capere Altissimi vias ? »

Tropolo-
gicus.

Tropologica causa fuit, quam dat S. Hieronymus, *Jerem.* xxix, 10, quod septuagesimus numerus sit symbolum poenitentiae, quam tota haec vita agere debemus, ut ad caelestem gloriam perveniamus. Nam, ut dicitur *Psal.* lxxxix : « Dies annorum nostrorum in ipsis 70, anni. » Hinc et Ecclesia a Septuagesima commemorando lapsum Adami et posterorum, inchoat tempus luctus et poenitentiae. Denique voluit Deus per 70 annos, omnes senes Judaeorum vitis suis assuetos et in iis inveteratos emori, ac novam sobolem succrescere, quam per Esdras, Danielelem, Jesum, Zorobabel, et alios in pietate et vero Dei cultu efformatam in terram sanctam reduceret, ut dixit *Jerem.* xxix, 10.

22. ANNO AUTEM PRIMO CYRI. — Hinc ad verbum repetuntur libro sequenti *Esdras* initio primi capituli, ubi ea quasi suo loco explicabo. Hinc colligunt Interpretes *Esdras* esse lib. *Paralipomenon* auctorem. Ejus enim finis idem plane est quam principio *Esdras*.

PROEMIUM

IN SECUNDUM

HISTORIALIUM SACRÆ SCRIPTURÆ TOMUM.

Post libros Josue, Judicum, Ruth, Regum, et Paralipomenon priore opere expositos, pergo ad alterum Historialium Sacrae Scripturae Codicum tomum, qui complectitur libros *Esdræ*, *Nehemiae*, *Tobiae*, *Judith*, *Esther* et *Machabaeorum*.

Esdras sacerdos, propheta, scriba et doctor, totiusque Scripturae sacrae vel deperditae in vastitate Babylonica ex memoria dictator et restaurator, ut multi sentiunt ; vel ut verius alii, vitalis corrector, et elegantiori characterē Hebraeo, quo nunc utimur, descriptor, cum *Nehemia* sacerdote, *Helcias* filio, et *Artaxerxis* Persarum regis pincerna, reduceam e captivitate populum numerans et perficiens : « Omnisque illa turba populi redeuntis in patriam (ait S. Hieronymus) et descriptio Sacerdotum, Levitarum Israelis, Proselytorum aliud in cortice proferunt, aliud in medulla retinent ; » scilicet allegorice significant institutionem Ecclesiae novae, veteri Synagoga abolita ; tropologicae mysticæ Ecclesiae, et templi in anima per peccatum violati et disjecti, per gratiam, poenitentiam, omnisque virtutis officia, reparationem, anagogice constructionem novae illius et caelestis Jerusalem, quam vis vis coloribus depingit S. Joannes, *Apoc.* xv.

Tobias vite conjugalium speculum, maritum, conjugem, filium, sui quemque muneris admonet et erudit. Ad haec quomodo in exilio et adversis retinenda sit pietas et charitas, quae Angelorum natura, quae species, quae partes, quae vita et sollicita custodia edocet.

Judith viduarum typus, viduis castitatis poculum propinat, quae sapientissima fortitudine pudicitiae gratiam, et ab hostibus victoriam velut

absentiae praemium tulit : quae, ut ait *Ambrosius* de viduis, nec cibo maculata, nec adulterio, non minus servatae continentiae ex hostibus revexit trophaeum, quam patriae liberatae : et ex sobrietate casta, manu quidem solum *Holophernem* vicit, sed consilio omnium aliorum ebriorum ejus straviv exercitum. Tanti dux femina facti.

Esther uxoris castae, modestae, religiosae et sapientis erga infidelem maritum et regem, pia vero et industriae in suos cives omnes numeros explet, et in Ecclesiae typo (verbis utor S. Hieronymi) populum liberat de periculo, et interfecto Aman, qui interpretatur iniquitas, partes convivi, et diem celebrem mittit in posteros.

Machabaei fortitudine bellica, aequae ac pietate et zelo excellunt, atque pauci numero ardenti prece Deum invocantes, ingentes hostium profugant exercitus, et divinae victoriae trophaea figunt aeternitati.

Haec singulorum argumenta in principio obiter quasi in synopsis collecta, o lector, accipe quae fusius suis quibusque locis explicabo.

Porro ex hisce libris protocononici sunt *Esdras* et *Nehemiae*, utpote qui semper tam ab Hebraeis quam a Christianis habiti sint Canonici : *Tobias* vero, *Judith*, *Esther* et *Machabaeorum* libri duo sunt Deuterocanonici, sive secundi ordinis et gradus, utpote de quorum auctoritate olim a nonnullis fuit dubitatum, postea tamen ab Ecclesia in Canonem librorum S. Scripturae sunt relati.